

agendi, quæ ex parte principii se tenet, seu id quod dat motivum, et rationem formalem procedendi, est quod formaliter, et essentialiter determinat speciem actionis, non ut præcise efficiens in executione, sed ut proportionans sibi formaliter actionem.

XV. Secundo objicies: Nam in potentiis activis, et cognoscitivis, et appetitivis specificatio actus fit ab objecto, ut terminante, non ut percipiente actionem, ergo falsa est doctrina data. Antecedens probatur, nam de actu potentiae activæ expresse docet D. Thomas specificari ab objecto terminativo prima parte, quæst. LXXVII, articul. III, ubi inquit: « Quod objectum ad potentiam passivam comparatur ut principium et causa movens, ad actum vero potentiae activæ comparatur ut terminus, et finis: ex his autem duobus, actio speciem recipit, scilicet, ex principio, vel fine, seu termino. » Si ergo actus potentiae activæ specificatur ab objecto, quod est terminus, quomodo hic articulo tertio docet D. Thomas, quod specificatur actio a principio, passio vero a termino? Similiter in quæstione sexta, de potentia, articul. VIII, docet actiones sicut et motus, specificari ex terminis, et in hac 1-2, quæstion. XVIII, articul. II, ad secundum, docet, quod objectum non est materia ex qua, sed circa quam, et habet quodammodo rationem formæ, in quantum dat speciem, et loquitur respectu actionis, materia autem circa quam, est objectum terminativum. Ac denique Aristoteles v physic. textu xxxi, docet actionem specificari a termino, est enim eadem ratio, ac de motu.

XVI. De actibus potentiae cognoscitivæ idem probatur, quia cognitio est actus elicited ab intellectu, vel potentia cognoscente: cognitio autem specificatur ab objecto cognito, quod contemplatur, non a princi-

pio cognoscente, cum potius principium cognoscens, sit indifferens ad cognitiones diversæ speciei, indigeatque determinativo: determinatur autem per speciem impressam, quæ non est principium extrinsece specificans, sed vices gerens principii specificantis quod est objectum; alias non posset objectum terminativum specificare actum, sed haberet se ut purus terminus, sicut in relationibus, cum tamen objectum terminativum, et cognitum ut quod, se habeat ut formale objectum; sicut color, et lux respectu visus: ergo actio ut actio, non solum specificatur a principio, sed a termino, seu ab objecto terminativo. De actibus vero voluntatis probatur, quia finis, vel sumitur in executione, vel in intentione. Si in executione, est terminus, seu effectus, et sic vel non specificat, si consideretur ut effectus; vel si specificat, jam actio specificabitur a termino, non a principio. Si in intentione, finis intentus non specificat: tum quia (ut infra ponderabitur) talis finis solum specificat actum intentionis, quia respectu ejus objectum est terminativum, utpote attactum ab illa: respectu vero actus electionis, non potest ipsum specificare; versatur enim electio circa medium, tamquam circa specificativum; tum, quia finis in intentione, movet causam efficientem motione metaphorica ad operandum, et sic respectu operationis, non causat specificum, et essentialiter prædicatum; sed movet ad existentiam, videlicet ut agens de facto producat, ergo non se habet finis, ut specificativum actionis, si sumatur ex parte principii.

XVII. Respondeo negando antecedens, loquendo de actione sub formalitate actionis, et ut distinguitur a passione, et motu. Ad probationem ex locis D. Thomæ responde-

tur ad primum ex quæstione LXXVII, quod loquitur de actu potentiae activæ, habente aliquid de motu, et sic non pure respiciente terminum ut effectum, sed ut formale perfectivum sui; ut patet ex illo exemplo quo D. Thomas se explicat: « Sicut, inquit, augmentatione virtutis objectum, est quantum perfectum, quod est finis augmenti, » quantitas autem perfecta, non solum est effectus actionis, et virtutis augmentativæ, sed etiam forma perficiens. quatenus per augmentationem fit transitus ab imperfecta, ad perfectam quantitatem. Et ita voluit ibi D. Thomas colligere omnes modos, quibus specificatur actio, et ut actio, et ut motus, scilicet a termino, et a principio. Et sic locutus est sub disjunctione, quod actio ex his duobus recipit speciem, scilicet, ex fine, et principio. At vero in hac prima quæstione, articulo tertio locutus est de actione, ut actio, sub formalitate quam distinguitur a passione, et motu: et sic assignavit illi pro specificativo, non terminum sub statu, et ratione termini, id est, ut in executione producendum, sic enim est effectus: effectus autem, ut effectus non specificat, quia prout sic non causat, sed principium actionis, quod etiam virtualiter, et quasi in intentione continet terminum, specificat. Et hoc etiam pacto, terminus specificare potest actionem, scilicet, terminus non in executione, et in quantum effectus, sed in intentione, et prout continetur in principio. Quod expressit S. Thomas in hoc ipso articulo tertio, ad secundum, dicens: « Quod finis secundum quod est prior in intentione, secundum hoc pertinet ad voluntatem, et hoc modo dat speciem actui humano. » Eodem ergo modo possumus dicere, quod in aliis actionibus non moralibus, terminus specificat actionem, ut actio est, non in se, et ut execu-

tus; sed ut in suo principio virtualiter continetur, quod est quasi in intentione præcedere, loquendo largo modo de intentione, pro omni eo, quod ex parte principii operantis se tenet: sicut calidum virtute continet in se calorem, quem producere potest ut terminum, et ille calor sic contentus, specificat actionem prout in ipso principio calefaciendi continetur.

XVIII. Ad illum locum ex quæstione sexta de potentia, dicitur similiter sicut ad præcedentem, quod loquitur ibi sanctus doctor de actione, ut includente motum, et passionem, non ut præcise actio est, et a passione distinguitur, ut deducitur ex illis verbis: « Proprie tamen actio, sicut et motus, a termino speciem habet, a principio autem habet proprie, quod sit naturalis. » Ubi illa particula sicut, cum dicit actio sicut et motus, non comparat actionem motui a se distincto, sed in se incluso, quasi dicat: actio cum motu specificatur a termino, sicut et ipse motus. Quod si intelligatur de actione præcise, ut distinguitur a formalitate motus, sic specificatur a termino, non ut in executione, sed ut in intentione, et prout virtualiter continetur in principio. Passio autem a termino, etiam prout in executione, specificatur: quia etiam prout sic, comparatur ad terminum, ut ad formam in facto esse perficientem ipsum fieri motus, et passionis. Unde D. Thomas quæstione sexta de potentia, articulo primo ostendens, quomodo in agentibus creatis, ex effectibus perficiuntur actiones, expresse loquitur de actionibus includentibus motum, et passionem, dum inquit: « Quod in ipso effectu, seu passione attenditur quoddam bonum, et perfectio momentis ut formale perfectivum sui; ut patet ex illo exemplo quo D. Thomas se explicat: « Sicut, inquit,



augmentativæ virtutis objectum, est quantum perfectum, quod est finis augmenti », quantitas autem perfecta, non solum est effectus actionis, et virtutis augmentativæ, sed etiam forma perficiens, quatenus per augmentationem fit transitus ab imperfecta ad imperfectam quantitatem. Et ita voluit ibi D. Thomas colligere omnes modos, quibus specificatur actio, et ut actio, et ut motus, scilicet a termino, et a principio. Et sic locutus est sub disjunctione, quod actio ex his duobus recipit speciem scilicet, ex fine, et principio. At vero in hac prima quæstione, articulo tertio, locutus est de actione, ut actio, sub formalitate quam distinguitur a passione, et motu: et sic assignavit illi pro specificativo, non terminum sub statu, et ratione termini, id est, ut in executione producendum, sic enim est effectus: effectus autem, ut effectus non specificat, quia prout sic non causat, sed principium actionis, quod etiam virtualiter, et quasi in intentione continet terminum specificat. Et hoc etiam pacto, terminus specificare potest actionem, scilicet, terminus non in executione, et in quantum effectus, sed in intentione, et prout continetur in principio. Quod expressit S. Thomas in hoc ipso articulo tertio ad secundum dicens: « Quod finis secundum quod est prior in intentione, secundum hoc pertinet ad voluntatem, et hoc modo dat speciem actui humano. » Eodem ergo modo possumus dicere, quod in aliis actionibus non moralibus, terminus specificat actionem, ut actio est, non in se, et ut executus; sed ut in suo principio virtualiter continetur, quod est quasi in intentione præcedere, loquendo largo modo de intentione, pro omni eo quod ex parte principii operantis se tenet: sicut calidum virtute continet in se calorem, quem pro-

ducere potest, ut terminum, et ille calor sic contentus, specificat actionem prout in ipso principio calefaciendi continetur.

XIX. Ad illum locum ex quæstione sexta, de potentia, dicitur similiter sicut ad præcedentem. Quod loquitur ibi sanctus doctor de actione, ut includente notum, et passionem, non ut præcise actio est, et passione distinguitur, ut deducitur ex illis verbis: « Proprie tamen actio, sicut et motus, a termino speciem habet, a principio autem habet proprie, quod sit naturalis. » Ubi illa particula sicut, cum dicit actio sicut et motus, non comparat actionem motui a se distincto, sed in se incluso, quasi dicat: actio cum motu specificatur a termino, sicut et ipse motus. Quod si intelligatur de actione præcise, ut distinguitur a formalitate motus, sic specificatur a termino, non ut in executione, sed ut in intentione, et prout virtualiter continetur in principio. Passio autem a termino, etiam prout in executione, specificatur: quia etiam prout sic, comparatur ad terminum, ut ad formam in facto esse perficientem ipsum fieri motus, et passionis. Unde D. Thomas q. vii de potentia, art. i ostendens, quomodo in agentibus creatis, ex effectibus perficiuntur actiones, expresse loquitur de actionibus includentibus motum, et passionem, dum inquit: « Quod in ipso effectu, seu passione attenditur quoddam bonum, et perfectio moventis, sicut in univocis agentibus, quæ per suos effectus perpetuant esse speciei, et in aliis quæ movent, vel agunt, vel causant, nam ex ipso suo motu ordinantur ad effectus producendos. » Ubi clare loquitur de actione cum motu, et in eodem sensu nos intelleximus quæst. xxi logicæ, art. iv, objectum terminativum dare speciem potentia activæ, et actioni, scilicet,

actioni, ut includenti motum, seu passionem, non ut præcise est actio, nisi forte sumatur terminus in intentione.

XX. In illo loco ex quæstione xviii, art. ii ad secundum, loquitur D. Thomas de materia circa quam actionis, quæ est objectum terminativum, et dicit habere quodammodo rationem formæ, in quantum dat speciem; quod recte intelligitur de termino, prout in intentione, seu ut virtualiter continetur in suo principio, ut de ipso fine docet in hoc articulo ad secundum. Aristoteles autem in quinto physicorum loquitur de actionibus, quæ includunt motum, et sic specificantur a terminis, etiam in executione. Sub præcisa autem ratione actionis, specificantur a terminis, prout præcedunt in intentione, et ex parte principii virtualiter se tenent.

XXI. Ad id quod dicitur de actibus potentia cognoscitivæ, respondetur actus ejus specificari ab objecto terminativo, non pure terminativo, sed terminativo, et motivo simul. Nam quod est terminativum tantum, est objectum secundarium, quia cognoscitur per speciem non sui, sed alterius; objectum autem secundarium, non specificat; supponit enim actum specificatum a primario, quando attingitur. Objectum ergo terminativum, et cognitum ut quod, specificat quatenus habet etiam rationem principii, movendo saltem per species impressas ad actum. Et sic non sumitur species actus a potentia nuda, et indifferenti, sed determinata, et actuata per speciem. Species autem licet non sit principium extrinsecum, et objectum ipsum, in tentative sumpta, est tamen objectum ipsum representative considerata, et sic objectum informans, et principians mediante specie, est

quod specificat actum, ut actio est. Neque hoc tollit, quod objectum ipsum cognitum, ut color specificet, quia color pertinet ad objectum primum, et non solum terminat præcise, sed etiam movet, et sic habet unde specificet actionem, quia ex parte principii, se tenet. Unde objectum terminativum non est purus terminus, sicut terminus relationis, nisi sit objectum terminativum tantum, quod est objectum secundarium: si vero sit terminativum primum, est etiam motivum, et sic potest specificare potentiam. Et in hoc sensu locutus sumus de objecto terminativo in citata quæstione xxi logicæ, dicendo: quod objectum terminativum habet rationem causæ formalis, et specificat; est enim verum de objecto terminativo primario, quod est etiam motivum, et ex parte principii se tenens, non determinativo secundario, quod est pure terminativum.

XXII. Ad id quod dicitur de actibus appetitivæ potentia, respondetur quod finis specificat, non prout in executione, sed prout in intentione, ut ex D. Thoma, in solutione ad secundum hujus articuli nuper dicebamus; sic enim finis determinat voluntatem ad amorem sui, ut objecti amati, et rationis amandi alia. Et ad replicam dicemus infra, quod finis est objectum immediatum, et proximum actus intentionis, ab eoque amatum, ut quod: est autem objectum electionis, ut ratio et motivum amandi, non ut objectum proximum, et amatum immediate per electionem: sicut lux est objectum visibile, etiam ut quod, et est formalis ratio sub qua, respectu coloris. Quod totum magis constabit ex dicendis infra circa quæstionem octavam, ubi ostendemus finem præbere rationem formalem boni, omni objecto voluntatis, et in se etiam



objectum ejus esse. Et ad secundam replicam dicitur, quod finis utrumque munus habet, et finalizandi seu movendi metaphorice ad executionem, et existentiam operis: et specificandi, seu formalizandi actus voluntatis, in quantum præbet rationem boni et appetibilis, quod est formale, et specificum objectum voluntatis. Et ratione primæ considerationis causat finaliter, et movet ad existentiam, quæ est prædicatum accidentale; ratione secundæ causat specificum prædicatum in actu voluntatis, immediate quidem in actu intentionis, qui est circa finem: mediate vero et ut formale motivum, circa actum electionis, quatenus est ratio appetendi media, et dat illis bonitatem et appetibilitatem, saltem perfective, et ex parte rationis formalis, cum sit id cujus gratia appetuntur: sicut lux dat colori visibilitatem, ut formalis ratio, licet alias sit visibilis, etiam ut quod, sicut finis est appetibilis, etiam ut quod respectu actus intentionis, aut voluntatis simplicis, est autem appetibilis ut quo, et ut dans rationem motivam respectu mediorum, de quo amplius dicetur circa quæstionem octavam.

XXIII. Tertio dices: Idem principium potest esse causa actionum diversæ speciei, sicut a sole, et ab aliis causis æquivocis procedunt diversæ actiones, sicut et diversis effectibus, ut calefactio, illuminatio, etc. Et ab eadem potentia intellectiva procedunt actus diversæ speciei, ut actus fidei, opinionis, scientiæ, etc. et a voluntate amor, odium, timor, etc. ergo actio, ut actio non sumit speciem a principio, sed a termino. Confirmatur, quia actio in quantum actio est via, seu causalitas, perficitur autem, et completur per terminum; unde dicit D. Thomas in 1, dist. 1, quæst. 11,

articul. 1 ad secundum: « Quod objectum operationis terminat, et perficit ipsam, et est finis ejus. » Si ergo terminat, et perficit, etiam ex parte termini potest operationem specificare, et formalizare, quia potest perficere. Et eadem ratione in hac prima secundæ, quæst. xxxiii, artic. iv ad secundum, dicit: « Quod operatio causat delectationem, ut causa efficiens, delectatio autem perficit operationem, ut finis. » Operatio ergo perficitur a termino a se causato, qualis est delectatio. Et hoc ideo, quia terminus habet rationem ultimi, et hoc semper perficit id, quod se habet ut medium et via qualis est actio. Unde communiter dici solet, quod actio sumit speciem ex termino ad quem, non ex termino a quo, quia ex termino a quo initiatur, in termino vero ad quem, consumatur; et consumatio, perfectio est, et formalis ratio. Et hac ratione in logica, quæstione secundâ citata, articulo quarto, præsertim solutione ad quartum, diximus, quod terminus ut perficiens, et confirmans in facto esse actum potentiæ, dat speciem terminando, quod est contrarium ejus, quod hic docemus.

XXIV. Respondetur aliquos sentire doctrinam S. Thomæ non esse universalem etiam pro causis æquivocis, sed pro univocis, et pro actionibus animalibus apprehensivæ, et appetitivæ potentiæ, quia in eis objectum specificans habet rationem principii, finis quidem ut in intentione existens, objectum autem cognoscibile, ut in specie representatum. Cæterum ratio S. Thomæ universalior est, nec istas patitur restrictiones; quia etiam actio causæ æquivocæ, in quantum actio, debet specificari ab aliquo actu a quo essentialiter dependet, non minus autem essentialiter dependet actio æquivoca a suo principio, quam uni-

voca, nec principium æquivocum minus actualitatis, et perfectionis habet quam univocum, imo multo magis, cum sit perfectioris speciei, quam effectus: ergo non minus debet specificari a principio, quam actio univoca. Dicimus ergo principium actionis in causa æquivoca, habere se ut principium formale, et specificans actionem eminentialiter et superiori modo, non limitato, et inferiori modo: sol enim non est calidus, sicut ignis, sed eminenter est calidus; et hoc sufficit, ut possit specificare calefactionem, quia sufficit, ut possit formari propositio in quarto modo per se, dicendo: Calidum calefacit, seu sol in quantum calidus calefacit, quia calidus eminenter; et sic ab eminenti calido specificatur calefactio, sicut a calido formali, et limitato. Solum vero est differentia, quod calidum emittens, non specificat actionem aliquam adæquate, ita quod restringatur, et adæquet se, uni tantum actioni, sed plures inadæquate: quia propter eminentiam suam æquivaleret pluribus principiis specificantibus, sicut etiam divina essentia est plures ideæ, quæ sunt exemplaria formaliter, ut formæ extrinsecæ specificantes ideata. Unde illud principium emittens ad plures actiones species diversas gerit officium diversi principii formalis, et specificantis secundum diversas habitudines, et respectus, quibus se accommodat, et restringit ad diversas actiones. Et hoc ita currit, quando per se ipsam immediate diversas actiones producit. Si enim mediantibus aliis causis univocis, actiones illæ fiant, ab illis proxime specificabuntur. Non autem currit hæc doctrina pro instrumentalibus causis, quia effectus non assimilatur earum propriæ virtuti, sed virtuti causæ principalis, ratione cujus operantur, et ideo ab ista, et non ab instrumentis

actio specificatur, solum enim instrumenta ministrant, non specificant.

XXV. Ad confirmationem respondetur ex supra dictis, quod actio est via activa, seu per modum activitatis; non passiva, et per modum mutationis; seu est via, ut facere, non ut fieri; facere autem, ut facere, non perficitur ab effectu, sed ut involvit aliquid de fieri, quia fieri dicit ordinem ad terminum, non ut ad effectum, sed ut complementum sui, et ut quid perfectius ipso fieri, scilicet, ut forma in facto esse, et in statu perfecto. Respectu autem actionis, ut dicit ipsum facere, terminus productus non se habet ut forma perficiens, sed ut præcise terminans ut effectus, et ut res producta. Itaque esse terminum, aliquando dicit perfectionem, quia consummat, et reducit ultimate in statum perfectum, et consummatum id, quod imperfectum est, et in via, et sic se habet factum esse ad motum, et ad fieri: quia factum esse perficit, et consummat fieri ipsum, et motum: aliquando dicit puram terminationem, quia ibi sistit, nec ulterius aliquid transit, ratione cujus terminatio indivisibilitatem importat; sicut punctum terminat lineam, correlativum relationem, subsistentia naturam. Et a tali termino sub hac consideratione, et terminatione, non sumitur specificatio, quia non sumitur formalitas, et perfectio, sed sola perfectionis ultimatio. Hoc secundo modo se habet terminus ad actionem, ut dicit facere: primo modo se habet ad actionem, ut dicit motum, seu fieri. Unde dicit D. Thomas quod objectum operationis terminat, et perficit ipsam, loquitur de operatione, ut includit utrumque respectum, scilicet actionis, et motus, facere et fieri; objectum enim operationis, terminat ipsum facere, et perficit ipsum fieri, ut explica-



tum est. Et cum dicit, quod delectatio perficit operationem, a qua tamen causatur, respondetur quod delectatio perficit operationem, non qua parte efficit, et importat ipsum facere; sed prout est in motu, et in fieri ad ipsam, quia delectatio habet se ut quies appetitus, et fructio rei convenientis: quies autem perficit motum, seu actionem, et operationem, ut habet aliquid de motu. Quod vero dicitur habere rationem ultimi, jam diximus, quomodo ly ultimum dicat aliquando perfectionem, aliquando non, et sic specificat actionem in ratione motus, et viæ in fieri: terminat autem, et non perficit in ratione præcisa actionis, et ut facere. Quod autem communiter dici solet, actionem specificari ex termino ad quem, non autem ex termino a quo, respondetur quod ex termino a quo, non specificatur, neque in quantum actio, neque in quantum motus, quia terminus a quo semper habetur pro derelicto, et abjecto, unde nulla sumitur perfectio et actualitas. A termino autem ad quem specificatur actio, ut includit motum, et tendentiam potentialem, seu passivam, non autem specificat actionem, ut præcise actio est: quia sic solum consideratur ut effectus ejus, et terminus ad quem, ut executus. Si autem consideretur ut intentus ab agente, sic consideratur ut prior ipsa actione, et in intentione præcedens, et sic specificat. Nec hujus contrarium docuimus in illa quæstione XXI logicæ; nam in illo ipso loco, qui citatur, diximus, quod terminus ut effectus, seu executus non specificat, sed quatenus perficiens, et consummans; quod fine solutionis diximus esse, quia præcedit in intentione, sequitur autem in executione, ut effectus, et sic non dat specificationem, sed recipit. Hæc ibi diximus, et eadem hic repeti-

mus. Solum ergo in executione terminus specificat actionem, non ut actio præcise, sed ut motus.

ACTIO HUMANA A QUO FINE SPECIEM SUMAT, ET QUOMODO FINIS SE HABEAT UT SPECIFICANS, QUOMODO UT CIRCUMSTANS.

XXVI. Multa, quæ de specificatione finis in actibus humanis traduntur, pendent ex his, quæ tractantur infra quæst. XVIII, articulis III et VI, et quæst. XX, articul. II, ubi explicat D. Thomas quomodo actio humana specificetur in sua bonitate, et malitia a fine, habeatque totam bonitatem, vel malitiam, actus exterior ab interiori. Quia tamen ea, quæ ibi tractanda sunt, discerni non possunt, nisi supponitur id, quod hic tractat D. Thomas, scilicet, quod finis specificat actum humanum, et quomodo illum specificet in linea, et ordine actus humani, seu moralis, ideo hic jacienda sunt fundamenta eorum, quæ ibi tractanda sunt.

XXVII. Et quidem finem specificare aliquem actum voluntatis, tum in ratione voluntarii actus, tum in ratione moralis, seu regulabilis a ratione, indubitatum est. Nam finis cum habeat rationem boni, et appetibilis, rationem etiam objecti habet respectu actus voluntatis, qui tendit in ipsum, vel intendit ipsum, et sic quatenus appetibilis, seu volibilis, objectum est volitionis, qua volumus, seu intendimus finem. Similiter finis, etiam ratione sui, et non solum ratione mediolorum est conformis, vel difformis regulis rationis, id est, legi præcipienti, seu prohibenti, et principiis practicis manifestantibus legem Dei in cordibus nostris. Unde ex hac parte etiam capax est specificare actum, in quantum moralem, id est, ut conformem, vel difformem regulæ ra-

tionis; actus enim non redditur moralis, id est, regulatus per rationem, nisi mediante objecto, quod attingit, et aliquis amat, juxta illud Osee IX: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*: et Matth. VI: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*; ubi nomine oculi, communiter sancti, et interpretes intelligunt rectam intentionem, quæ est erga finem. Ex illo ergo sumitur rectitudo moralis in toto corpore, id est, in tota operationum nostrarum collectione; unde D. Thomas infra quæst. XX, articul. I ad primum, dicit: « Quod actus exterior, est objectum voluntatis, in quantum proponitur voluntati a ratione, ut quoddam bonum apprehensum, et ordinatum per rationem. » Ordinari ergo per rationem, quod est moralitas, prius invenitur in objecto, et mediante illo, in actu voluntatis; de quo latius agendum est circa quæstionem XVIII. Itaque finis tam in ratione appetibilis, et volibilis, quam moralis, et regulabilis specificare potest actum, et ut voluntarium, et ut moralem; quia constat finem aliquando esse objectum, scilicet, respectu actus intendentis, aut volentis finem. Ab objecto autem sumitur specificatio actus in ratione voluntarii, quam in ratione moralis; utroque enim modo habet actus, medio objecto, specificationem suam, ut nunc supponimus, ex generali doctrina de specificatione actuum, tradita in libris de anima, q. II, et specialiter de specificatione in esse moris, traditur infra circa quæstionem XVIII, articulo secundo.

XXVIII. Difficultas nascitur circa omnes alios actus humanos, an omnes etiam, qui non versantur immediate circa finem, sed circa media, in quantum morales, et voluntarii sunt, specificentur a fine. Nam ex una parte videntur specificari om-

nes a fine, quia finis præbet rationem formalem motivam his, quæ sunt ad finem, si quidem dat eis rationem boni, et appetibilis, cum tota ratio appetendi medium, sit ipse finis ad quem conducit; unde finis, aut est objectum adæquatum voluntatis, aut primum, et formale, sicut lux respectu colorum: ergo finis, etiam ipsis mediis præbet formalem, et specificam rationem, quia a fine habent media appetibilitatem formalem. Ex alia vero parte constat, quod finis, respectu aliquorum actuum habet rationem circumstantiæ, cum una ex circumstantiis actus moralis, sit finis, scilicet, respectu actus exterioris, seu imperati, qui utique variari potest in actu, et aliquando fieri ex isto fine operantis, aliquando ex alio; et actus electionis non specificatur a fine, sed a mediis; et intentio a fine, quia non versatur electio circa finem, ergo in his actibus, finis non specificat, quia circumstantia, accidentalis est actui, non specificativa, et essentialis. Cæterum quia finis ita dat specificationem actui, cujus objectum est, scilicet, actui interiori, quod etiam transfundit eam in actum imperatum, quia ad finem refertur, ab eoque dependet, insurgit alia difficultas, quomodo hæc species, quæ a fine derivatur componatur cum illa, quæ in actu imperato, seu exteriori sumitur ab objecto, an utraque sit essentialis actui; an una ex duabus fiat, vel utraque maneat inconfusa cum alia; an quando sunt oppositæ species inter se, ut quia una est bona, alia mala, actus ponatur sub utraque specie, ita quod sit simul bonus, et malus; an solum sub una, verbi gratia, solum sit malus, bonitas vero destruat? Sed de difficultate agendum est infra circa quæstionem XVIII, ubi tractatur, an possit aliquis actus, simul esse sub specie boni, et mali.